Programm

der

lateinischen Schule zu Hadersleben

für das Schuljahr 1865/66.

Als Einladung

zu der öffentlichen Prüfung den 22. und 23. März,

sowie zu der

Schlussfeier den 23. März

Nachmittags 3 Uhr.

Inhalt: Dr. Siemonsen quaestiones Lucianeae.
~~Schulnachrichten vom Rector.~~

Hadersleben, 1866.

Quaestiones Lucianeae.

Postquam abhinc annos triginta Jacobitzius operam in emendando Luciano collocare et apparatum criticum colligere coepit,[1]) vulgata, quam dicunt, tandem aliquando explosa atque vera scriptura innumeris locis restituta est. Sed id mihi minus accurate egisse videtur vir doctissimus, ut codicum stirpem extricaret et certam artis criticae viam rationemque demonstraret. Huc accedit, quod a Dindorfio, Fritzschio, Sommerbrodtio cum librorum, qui jam innotuerant, scripturae melius excussae, tum prorsus novi fontes aperti sunt, quo factum est, ut jam sat bonis subsidiis instructi ad emendationem Luciani accedere possimus. Quamobrem non inutile mihi visum est denuo investigare, quae sit uniuscujusque codicis indoles, quomodo singuli inter se cohaereant, quid de archetypo statui possit. Id ipsum desiderat Dindorfius, qui in praefatione edit. Tauchnitzianae vol. I. pag. XI. haec dicat: „Quod si quando factum codicumque meliorum, saepe inter se consentientium, saepe dissentientium, auctoritas accuratius explorata fuerit, de rebus plurimis rectius certiusque quam nunc judicari poterit.“ Sed metum mihi injecit Fritzschius, qui in prooemio editionis novissimae I. pag. XIV. „hanc rem in tot voluminum scriptore et in tanta multorum, qui codices conferunt, levitate vel maxime arduam et periculosam esse“ judicat. Si nihilo minus rem difficillimam tractare conor, audacior fortasse videbor, sed fore spero, ut venia mihi detur, dummodo ne prorsus oleum et operam perdiderim.

Hanc quaestionem quominus totam ad liquidum perducamus, cum id maxime obstet, quod et alii codices alios continent libellos et multi nondum satis accurate collati sunt, artioribus finibus provinciam nostram circumscribamus necesse est,

---

[1]) Lucianus ex recensione Caroli Jacobitz voll. 4. Lipsiae 1836—1841.

quoniam pauca eaque certa quam largam conjecturarum copiam proferre malo. Quamobrem ex omni codicum multitudine hos potissimum deligam, de quibus plura videas in praefationibus Jacobitzi atque Fritzschi:

A Gorlicensem (signis enim receptis utar) saec. XIV.
B Vindobonensem num. 123. saec. X.
C Parisinum num. 3011. saec. XIII.
F Guelferbytanum, saec. XIII vel XIV.
G Guelferbytanum, recentissimum.
L Parisinum num. 1428. saec. XIV.
M Parisinum num. 2954. saec. XIII.
O Augustanum, nunc Monacensem num. 490. saec. XV.
Q Augustanum, nunc Monacensem num. 481. saec. XIV.
Φ Florentinum saec. XIII.
Ψ Marcianum num. 436. saec. XIV.
Ω Marcianum num. 434. saec. XIII.
a editionem principem, quae prodiit Florentiae 1496.

Cum autem plerosque Luciani codices deterioris notae esse constet, eos tantummodo libellos pertractabo, in quibus meliorum codicum collatio in promtu est quosque infra deinceps enumerabo. Erit fortasse, qui hoc operae compendium mihi vitio vertat, quoniam sine detrimento fieri non posse opinatur. Sed neque desidia neque operis taedio permotus reliquos libellos omisi, sed mihi persuasum habeo, iis justam certamque medelam afferri non posse, priusquam novis codicum praesidiis instructi simus. Merito praefecto vituperandus essem, si, quae in disceptationem non vocavi, contra inventa mea pugnarent; id vero ita nego, ut ea quoque in meum usum converti posse existimem, dummodo codices suppeterent.

Quoniam codicum ope non ita adjuvari solemus, ut integram ipsius scriptoris manum ubique restituere liceat, in eo nobis acquiescendum est, ut nostrorum codicum collatione archetypum quoddam i. e. fontem omnium qui supersunt codicum antiquissimum effingamus. Neque dubito, quin Luciani opera, qualia nunc habemus, ex uno eoque non sincero codice ad nos pervenerint; sed ad hanc quaestionem tum demum accedam, postquam singulos codices accuratius examinavero. Dolendum autem est quam maxime, primum, quod ii codices, qui cuncta fere Luciani scripta continent, aut ex parte tantum (velut Ω), aut neglegenter

collati sunt (velut M); deinde vero, quod in reliquis codicibus neque omnia neque eadem inveniuntur. Denique libellorum ordo in singulis codicibus (praeter A et C, qui consentiunt) adeo diversus est, ut inde ad cognoscendam codicum originem nihil prorsus proficiamus. Multa frustra tentavi, ut de libellorum ordine principali certi aliquid eruerem; sed cum non raro accidat, ut duo libelli in eodem codice juxta positi scripturis diversum prodant fontem, ordinis, qualis nunc in libris est, nulla fere ratione habita, id mihi statuendum videtur, unumquemque librarium libellos hinc illinc delibatos ad arbitrium suum collocasse atque ordinasse. Quamobrem singuli libelli accurate nobis examinandi sunt, ut, quae ratio iis cum archetypo intercedat, perspiciamus.

Primum igitur ex singulis libellis, de quibus me dicturum esse pollicebar, bina proponam exempla, quibus codicum differentia satis manifesta fiat.

Somn. cap. 9. ὅμοιός σοι γενέσθαι Α Ψ.	σοι ὅμοιος γενέσθαι Ω Φ F Q et v.[2])
ibid. cap. 17. ἐν πολέμῳ Α Ψ.	ἐν τῷ πολέμῳ Φ Ω F Q et v.
Nigrini cap. 25. τῶν κολάκων B.	τῶν καλῶν Ω M Q.
ibid. cap. 36. ἐντολῆς B.	ἐμβολῆς Ω et v i. e. M Q.
Prometh. cap. 3. ὑπεξελέσθαι B.	ἐξελέσθαι L M.
ibid. cap. 9. εὐτέλειαν B.	ἀγένειαν (ἀγέννειαν) M et v.
Timonis cap. 29. δυςκάτοχος A O Ψ.	δυσκάθεκτος Ω et v.
ibid. cap. 38. χλανίδος A O Ψ.	χλαμύδος Ω et v.
Dial. deor. 4, 2. ἀδικήσαντά με ἀνήρπασας A B C.	με ἀδικήσαντα ἀνέσπασας F L M.
ibid. 5, 5. κομήτην serv. A B C.	κομήτην om. F L M.
Dial. mar. 2, 2. κατέλαβεν B.	κατέλαβεν αὐτούς A C F M.
ibid. 3, 1. αὐτῶν μιᾶς B.	ἀλίας A C F M.
Dial. mort. 18, 2. μοι, ὦ Μένιππε om. B O Ψ.	μοι, ὦ Μένιππε serv. Ω et v i. e. A C F M.
ibid. 22, 3. κοὐδενὸς αὐτῷ μέλει om. B O Ψ.	serv. κοὐδενὸς (οὐδενὸς A F) αὐτῷ μέλει Ω A F et v.

[2]) Notanda est molesta quaedam Jacobitzi consuetudo, qui sub v litera, quae vulgatam i. e. Reitzianae editionis scripturam significat, omnes complectitur codices, quorum diserta mentio facta non est. Quodsi omnes libri manuscripti ita essent collati, ut nullus omnino restaret scrupulus, non esset, quod huic compendio obstaret. Sed cum v eos quoque codices contineat, qui imperfecte sunt excussi, melius profecto nobis prospexisset Jacobitzius, si ipsa codicum signa apposuisset, ubicumque de iis certior factus erat.

Menipp. cap. 7. *πρὸς ἀνατέλλοντα* **BOG.**	*πρὸς ἀνίσχοντα* **ΦΩCLM.**
ibid. cap. 14. *αὐτῶν* **BOG.**	*τῶν κατεγνωσμένων* (*καταγνωσμένων* **Φ**) **ΦΩCLM.**
Char. cap. 15. *ποικίλην τινὰ τύρβην* **B.**	*ποικίλην τινὰ τὴν διατριβὴν* **ACLM.**
ibid. cap. 16. *ἀνασπασθεὶς* **B.**	*ἀναπτάς* **ACLM.**
De sacrif. cap. 5. *συνῳδούς* **B.**	*συνάδειν* **ACFM.**
ibid. cap. 12. *φιλήσας* **B.**	*σείσας* **ACFM.**
Vit. auct. cap. 18. *πάντων ὁρῶ εἰκόνας* **AΨ** et v i. e. **C.**	*πᾶσαν ὁρῶ εἰκόνα* **ΦΩM.**
ibid. cap. 21. *ἔμπαλιν* **AΨ** et v i. e. **C.**	*ἀνάπαλιν* **ΦΩM.**
Piscat. cap. 25. *ὧν* **ABΨ** et v i. e. **C.**	*ἅπερ* **ΦM.**
ibid. cap. 33. *οἶμαι* **ABΨ** et v i. e. **C.**	*μᾶλλον* **ΦM.**
Tyrannic. cap. 3. *κηδόμενος* **AB.**	*φειδόμενος* **FM.**
ibid. cap. 17. *οὗτος θάνατος ἄξιος ὠμῶν τυράννων* om. **AB.**	servant haec verba **FM.**
Abdicat. cap. 4. *προθυμίᾳ λιπαρεῖ* **AB.**	*προθυμίᾳ πολλῇ* **FM.**
ibid. cap. 27. *μᾶλλον* om. **AB.**	serv. *μᾶλλον* **FM.**
Phalar. I. cap. 6. *γελάσεσθαι* i. e. *γελάσεσθε* **B.**	*καταγελάσεσθε* **AF** et v.
ibid. cap. 10. *καὶ τίνας καὶ ὅθεν* **B.**	*καὶ τίνες ὅθεν* **ACF.** *τίνες καὶ ὅθεν* v.
Phalar. II. cap. 2. *εἶναι* om. **B.**	servant *εἶναι* **AF** et v.
ibid. cap. 11. *τίμια πολλά* **B.**	*πολλά* om. **AF.**
Alexand. cap. 25. *οἱ Ἐπικούρου ἑταῖροι, πολλοὶ δὲ ἦσαν* **BCΨ.**	*ὅσοι Ἐπικούρου ἑταῖροι ἦσαν* **ΦΩFM** et v.
ibid. cap. 51. *μορφεῦ μάργουλος* (*βάργουλος* **B**) *ἰσχιάγχνε χίψι* (*ἰσχι ἀγχνεχιψι* **B**, *ἰσχνϊαγχν*[ε] *χίψι* **Ψ**) *φάος δᾶ* (*δάοσδα* **B**, *φαος* et signa quaedam incerta **Ψ**) **BCΨ.**	*μορφὴν* (*μόρφιν* **Φ**) *ἐν βάργουλις* (*εὐβάρ*[γ]*γουλις* **ΦM.** *εὐβαρβουλῒς* **F**) *εἰς κακίαν* (*εἰς σκιὴν* **Φ**) *χνεγικραγκ λείψει* (*χνεχηκράγη λείψει* **F.** *χνεχικράγη λείψει* **Φ**) *φάος* **ΦΩFM** et v.

Demonact. vit. cap. 10. *ταῦτα πάντα* **B.**	*πάντα ταῦτα* **A Φ F.**
ibid. cap. 50. *τὸν κυνικὸν* om. **B.**	hab. *τὸν κυνικὸν* (*τὸ κυνικὸν* **A**) **A Φ F.**
Imagg. cap. 10. *πάνυ σαφῶς* **A B.**	*σαφῶς πάνυ* **M.**
ibid. cap. 17. *καταγεγραμμένη* **A B.**	*καταγεγραμμένη εἰς τὴν γραφὴν* **M.**
Toxar. cap. 15. *καὶ τὸ ἐντεῦϑεν* **B.**	*καὶ* om. **A M** a.
ibid. cap. 47. *οὕτω γινέσϑω* **B.**	*οὕτω* om. **A M** a.
Lucii cap. 12. *γινόμενα ἔνδον* **A C.**	om. *ἔνδον* **F M.**
ibid. cap. 30. *χεῖρά μοι ἐπέδωκεν* **A C.**	*χεῖρα ἄν ποτε ἐπέδωκεν* **F M.**
Jov. confutat. cap. 4. *ὀψάρια* **A C.**	*ἰχϑύδια* *Ω* et v i. e. **F M.**
ibid. cap. 7. *εὐγνωμοσύνῃ* **A C.**	*χρηστότητι* *Ω* **F.**
Gall. cap. 14. *πτώχῳ τούτῳ* **A C G.**	*τούτῳ* om. *Φ* et v.
ibid. cap. 23. *ἀμέλει* **A C G.**	*ὥστε* *Φ* et v.
Icarom. cap. 11. *ἐγενόμην* **G.**	*ἐγεγόνειν* *Φ* a.
ibid. cap. 20. *πηλίκη καὶ* **G.**	*πηλίκη ἢ καὶ* *Φ* a.
Bis accus. cap. 27. *ὦ ἄνδρες δικασταὶ* **A Ψ.**	*δικασταὶ* om. *Φ Ω* **M** a.
ibid. cap. 33. *ὑπὲρ τὰ νῶτα* **A Ψ.**	*ὑπεράνω* *Ω* **M** a, *ὑπὲρ ἄνω* *Φ*.
Parasit. cap. 31. *ἐγώ σοι καταλέξω* **Ψ.**	*ἐγώ σοι δείξω καὶ καταλέξω* **A C F** et v.
ibid. cap. 32. *παρὰ τῷ Διονυσίῳ Λυκείῳ καὶ* **Ψ.**	*παρασιτῶν Διονυσίῳ καὶ* **A C F** et v.
De luctu cap. 1. *καὶ ἐκείνοις* **B.**	*καὶ αὐτοῖς ἐκείνοις* **A C F** a.
ibid. cap. 8. *τὸν χῶρον* **B.**	*τὸ χωρίον* **A C F** a.
Rhet. praec. cap. 19. *λαρύγγιζε* **A B C Ψ.**	*κελάρυζε* **M.**
ibid. cap. 25. *ἐπισπασάμενος* **A B C Ψ.**	*ἐπιστάμενος αὐτοῖς* **M.**
Hipp. cap. 1. *μεταστελεῖται* **B.**	*μεταστέλλεται* **A F M.**
Bacch. cap. 3. *ἠγγέλλετο* **B.**	*ἤγγελτο* **A F Q** a.
Muscae enc. cap. 11. *μυίας* **B A.**	*τῆς μυίας* **F Q.**
Advers. indoct. cap. 5. *τί κυνὶ καὶ βαλανείῳ* **A Ψ.**	*τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ* **F** et v i. e. **M** a.
ibid. cap. 24. *νεόκτιστον* **A Ψ.**	*νεόκτητον* **F M** a.

Non tem. cred. calumn. cap. 1. ἐπιλυγάζουσα i. e. ἐπηλυγάζουσα G.	ἐπισκιάζουσα A F et v.
ibid. cap. 4. μεταγνῶναι G.	αἰσχυνθῆναι A C F.
De domo cap. 4. ἐπεὶ A B.	ἐπειδὴ F et v.
ibid. cap. 19. ἀπὸ θαύματος A B.	ἀπὸ τοῦ θαύματος F et v.
Saturn. cap. 5. καὶ οἱ ἄλλοι ἅπαντες B.	καὶ ἄλλοι ἅπαντες A F et v.
ibid. cap. 8. γὰρ ἂν αὐτὸν B.	γὰρ αὐτὸν A F et v.
Deor. concil. cap. 2. αὐτῶν A O.	ἡμῖν F a.
ibid. cap. 4. αἰγὶ om. A O.	αἰγὶ hab. F a.

His inspectis nemini dubium esse potest, quin duplex sit codicum genus, quorum alteri B O G Ψ, alteri Φ Ω F L M Q a adnumerandi sunt, cum A et C sibi non constent. Diversam igitur horum librorum dignitatem numeris appositis ita discernam, ut A^1 C^1 prioribus illis, A^2 C^2 posterioribus sint assignandi.

Jam vero quaeritur, utrum genus pro interpolato habendum sit. Cum autem ut in re manifesta omnes editores eos codices, quos posteriore loco enumeravi, interpolatos esse consentiant, pauca exempla afferre sufficiet.

Dial. deor. I. 2. Prometheum vaticinantem *τὸ τεχθὲν ἴσα ἐργάσεταί σε οἷα καὶ σὺ ἔδρασας* — Jupiter interpellat; vulgo i. e. in F M a *τὸν Κρόνον* additur, quod supplementum profecto languidissimum est, cum Jupiter, quem facinoris in in patrem commissi pudeat, Saturni nomen pronuntiari nolit.

Quod Charon. cap. 6. in editionibus legitur *ἀπὸ τοῦ τέγους κεραμὶς ἐπιπεσοῦσα οὐκ οἶδ᾽ ὅτου κινήσαντος ἀπέκτεινεν αὐτόν*, Vindobonensis B auctoritate sua confirmat, nisi quod mendose *οὐκ οἶδ᾽ ὅτι κινήσοντος* exaratum est. Contra reliquorum codicum (A^2 C^2 Ω L M) lectio *οὐκ οἶδ᾽ ὅπως τοῦ οἰκήματος* propter *τέγους*, quod antecessit, adeo molesta est, ut vix intelligi queat, cur tandem Sommerbrodtio placuerit.

Vit. auct. cap. 22. de syllogismi, quem Electram vocant, natura ita exponit Chrysippus: *Ἠλέκτραν μὲν ἐκείνην τὴν πάνυ τὴν Ἀγαμέμνονος, ἣ τὰ αὐτὰ οἶδέ τε ἅμα καὶ οὐκ οἶδε· παρεστῶτος γὰρ αὐτῇ τοῦ Ὀρέστου ἔτι ἀγνῶτος οἶδε μὲν Ὀρέστην* etc. Locupletati sunt absurdo interpolatoris commento Φ Q M, quippe in quibus post *ἀγνῶτος* haec inserta sunt: *καὶ τὰ ὀστᾶ (σῖτα Ω) δὴ τοῦ Ὀρέστου ἔχοντος.*

Alexand. cap. 3 *πρότερον δέ σοι αὐτὸν ὑπογράψω τῷ λόγῳ πρὸς τὸ ὁμοιότατον εἰκάσας ὡς ἂν δύνωμαι*; post *εἰκάσας* *Φ Ω* F M et v intrudunt *τὴν μορφὴν*, quod Fritzschius recte ut glossema ineptum notat. Comprehenditur enim hoc loco et corporis et animi descriptio, quod utrumque *μορφὴν* appellare non licet.

Gall. cap. 1. rectissime haec exhibet A[1] et sine dubio etiam C[1]: *ἣν κρηπῖδα — ἐργάσῃ, πρὸ ὁδοῦ ἔσῃ τοῦτ' ἐς τὰ ἄλφιτα πεπονηκώς* (conf. Hermotim. cap. 1). Quae cum fortasse paulo insolentius dicta esse viderentur, interpolator in *Φ* L M a *ἣν κρηπῖδα ἐργάσαιο* (*ἐξεργάσῃ Φ*) *ἵν' ἐσθίῃς τὰ ἄλφιτα* supposuit, quae intelligi omnino nequeunt.

Pluribus exemplis hoc loco supersedere posse mihi videor, cum cuique satis multa satisque manifesta occurrant.

Neque vero interpolationes passim dispersae inveniuntur, sed ubique fere adeo sunt crebrae, ut Fritzschio assentiar, qui Lucianum a correctore quodam dedita opera recensitum esse censeat.[3]) Num quid de tempore hujus recensionis statui possit postea videbimus. Itaque eos codices, qui hac recensione carent, non interpellatos appellabo, quamquam omnes Luciani codices ejusmodi sunt, ut suo quisque modo vitia sibi non pauca contraxerit.

Dignus est qui primo loco memoretur Vindobonensis B[4]), qui inter omnes Luciani codices praestantia ita eminet, ut non dubitem, quin in examinandis ceteris quasi norma quaedam adhibendus sit. Nonnullis quidem locis non possumus, quin interpolationes agnoscamus, praesertim collatis ejusdem stirpis codicibus. Quare nihil antiquius habeo, quam ut, qua ratione A[1] C[1] O G *Ψ* et inter se et cum Vindobonensi cohaereant, expediam. Qui quamquam e communi quodam fonte, quem *β* litera significabo, deducti sunt, tamen multifariam discrepant, cujus rei haec mihi erunt documenta:

Timon. cap. 8. *ἀκρασία* A[1] O.	*ἀκρισία Ψ* et v i. e. *Ω* M a.
ibid. cap. 1. *ἐρισμάραγδος* A[1] O.	*ἐρισμάραγος Ψ Ω* et v.
Dial. mort. 7, 1. *Καλλιδημόδη* B O.	*Καλλιδημίδη Ψ Ω* et v.
ibid. 20, 1. *οὗτος δὲ Ὀδυσσεὺς* B O.	*ἔπειτα* (*εἶτα Ω*) *Ὀδυσσεὺς Ψ Ω* et v.

---

3) In praefatione fasciculi I. pag. IV.

4) Conf. Jacobitzi praefationem pag. XIII et Schubartum in ephem. antiquitat. studd. anni 1834 pag. 1118 sqq.

Piscat. cap. 8. *ὑμεῖς δ' ἐντολμήσετε* A¹ B.	*ὑμεῖς δὲ βίαιον οὐδὲν ἐντολμήσετε* Ψ et v i. e. Φ M a.
ibid. cap. 16. *δικάσαι δίκην* A¹ B.	*γὰρ μίαν δικάσαι δίκην* Ψ Φ et v i. e. M a.
Alexand. cap. 39. *ὑπὸ κόλπους* B C¹.	*ὑπὸ κόλπου* Ψ et v i. Φ Ω F M a.
Rhet. praec. *ἀνιδρωτὶ* om. A¹ B et haud dubie C¹.	habent *ἀνιδρωτὶ* Ψ et v i. e. a.
ibid. cap. 13. *ἔπεμψεν ἐπ' ἐμὲ* A¹ C¹ B.	*ἔπεμψε πρός με* Ψ et v.
Muscae enc. cap. 3. *τὰς σφῆκας* A¹ B.	*τοὺς σφῆκας* Ψ F et v.

Hisce exemplis satis, opinor, demonstratum est A¹ C¹ B O artiore quodam vinculo inter se conjunctos esse quam cum Marciano Ψ. Atque haec res maximi est momenti; nam si id quod supra sumpsimus, postea vero argumentis stabiliemus, unius tantum codicis propagines ad nos pervenisse verum est, haud dubitanter licet concludere, id ipsum, in quo aut A¹ C¹ B O aut Ψ cum deterioribus libris consentiant, in archetypo quoque exstitisse, alteram vero scripturam errore vel interpolatione esse ortam.

Ceterum Vindobonensis nostri vitia ad tria potissimum genera revocari possunt:

1) Similes vocales vel diphthongi (*αι—ε*; *ει—η*; *ει—υ*; *η—ι*; *οι—ι*; *οι—υ*); permutantur neque minus vocabula cognata, imprimis praepositiones atque particulae.

2) Lacunae inveniuntur, quae non raro eo excusantur, quod librarius ad consimilem vocem oculis aberrasse videtur, velut Dial. mort. 27, 1. *διηγήσομαι — διήγησαι*; de luctu cap. 2. *πειθόμενοι — θέμενοι*. Cum hisce ii loci componendi sunt, ubi vicinum vocabulum depravationis causa erat, veluti Dial. marin. 14, 4. *μητρὶ* pro *θυγατρὶ*, cum *μήτηρ γε οὖσα* subsequatur; vel Dial. mort. 26, 2, ubi *περιπέσῃ*, quod ex antecedenti *περιπίπτῃς* natum est, veram scripturam *περιστῇ* (ita enim legendum est) eliminavit.

3) Manifesta menda, quae in *β*, quem communem sumpsimus fontem, fuisse A¹ et Ψ codicum consensu comprobatur, in B correcta sunt. Conf. Piscat. cap. 12. *ἀσφαλές* A¹ Ψ — *ἀφελές* B; ibid. *ὥρας* A¹ Ψ — *Ἥρας* B; Rhet. praec. cap. 5. *Ἀρραβίαν* A¹ Ψ — *Ἀραβίαν* B; ibid. cap. 16. *ἀτελέστατον* A¹ Ψ — *ἀτέλεστον* B.

Praeterea in calami errores permultos incidit librarius, in justas vero interpolationes rarissime, quarum unam noto **Bacch.** cap. 5, ubi *ἐοίκασι* post *δοκοῦσι* in B male repetitum est.

Codicem O, olim Augustanum, nunc Monacensem, simillimum esse Vindobonensi neminem latebit, qui Mortuorum dialogos vel Menippum evolverit. Quamobrem testimoniorum multitudinem non curans insignia quaedam adlegabo. **Dial. mort.** 7, 1 *Καλλιδημόδη* B O pro *Καλλιδημίδῃ*; ibid. 13, 5. *καὶ τοῦτο μέρος ὢν* B O pro *καὶ τοῦτο μέρος ὄν*; ibid. 15, 1. *βίος τινὶ* B O pro *βίοτος* in versu illo Homerico Od. XI, 490. *ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη*.

Neque tamen Vindobonensem nostrum bonitate adaequat, cum et neglegenter collatus sit (id quod et Halmius in annal. crit. Berol. 1838 num. 29 sqq. demonstravit, et ex meliore hujus codicis collatione, quam Fritzschius ad Necyomantiam accepit, perspicuum fit) et non raro interpolationibus scateat. Conf. **Timon.** cap. 41. *κτέρας* O — *βροτοῖς* rell. codd.; ibid. cap. 57. *δακτυλίων* O — *κονδύλων* rell. codd.; **Dial. mort.** 13, 1. *εὔλογον* O — *ἄχρηστον* rell. codd. et quae sunt alia.

Iis codicibus, qui e bono manarint fonte, Guelferbytanum G adscribendum esse vel una Necyomantia satis comprobatur, quo in libro cum B O artissime cohaeret. Neque minus in Gallo laude dignus est, cum A¹ C¹ G pari modo multifariam prae ceteris libris manuscriptis probitate excellant. Ab his iisque certissimis testimoniis profectus etiam in libro Calumn. non tem. cred. et in Icaromenippo G codicem nequioribus (conf. exempla, quae pag. 6. congessi) opponere non dubitavi, invito Fritzschio, qui in Icaromenippo Guelferbytanum inter deteriores libros numeravit,[5]) sed nihilo secius aliquoties hujus solius auctoritate in restituendo textu usus est. Id vero negari nequit hunc codicem ita esse abjectissimum, ut cum vitia multa et lacunas non paucas et peculiares habeat interpolationes, tum nonnunquam cum interpolatis codicibus conspiret, quod quidem iis, quae modo exposui, non repugnat, quum librario complures codices ante oculos fuisse videantur, quorum scripturae identidem cum *γρ.* in margine enotatae sunt.

Jam transitum faciamus ad Marcianum Ψ a Sommerbrodtio diligenter, ut videtur, collatum, quem ut ex eodem, e quo A¹ C¹ B O G manarunt, fonte, ita

---

[5]) Conf. praef. vol. II. part. I. pag. VII.

secreto quodam rivulo ductum esse ostendimus. Librarius vero passim de suo aliquid vel addidit vel commutavit, cujus rei specimina infra pono:

Somn. cap. 12. τέχνῃ Ψ.	ταύτῃ A^1 et rell. codd.
Dial. mort. 18, 2. ἐπέπλευσαν Ψ.	ἐπληρώθησαν B O et rell. codd.
ibid. 21, 1. φρονήματι Ψ.	προςώπῳ B O et rell. codd.
Alex. cap. 36. πυρετοὺς ἔσεσθαι Ψ.	πυρκαϊὰς φυλάττεσθαι B et rell. codd.
Bis accus. cap. 13. ἐννέα μονοὶ κρινάτωσαν Ψ.	ἐννέα κρινάτωσαν A^1 C^1 (κρινέτωσαν v).
Advers. indoct. cap. 22. ζωγράφος σοφὸς ὢν Ψ.	ζωγράφος ὢν A^1 et rell. codd.

Quare non prorsus certo utimur duce, ubi, velut in Parasito, praeter deterioris notae codices solum Marcianum sequi licet.

Restat quaestio difficillima, quae est de Gorlicensi A et de Parisino C, quos, etsi ab editoribus omnibus certatim laudibus elati sunt, iis quos modo percensui codicibus multo inferiores esse judico. In hac quaestione multa in incerto maneant necesse est, quoniam Parisinus C a Belino non tam integer collatus, quam passim inspectus esse videtur;[6]) sed eae quae prolatae sunt scripturae discrepantiae sufficiunt, ut A et C geminos esse agnoscamus[7]) qui saepe inter se consentiant, a B et reliquis dissentiant:

Dial. marin. 4, 1. εἴπερ A^2 C^2.	ὁπότε B εἴ πως F M.
Charon. cap. 5. τάδε om. A^2 C^2.	serv. τάδε B Ω et v i. e. L M.
ibid. cap. 9. τεῖχος ἔχουσαν A^2 C^2.	ἔχουσαν om. B Ω v i. e. L M.
ibid. cap. 22. κεῖτ' ἀγαμένονι A^2 C^2.	κρείων τ' Ἀγαμέμνων B Ω et v i. e. L M.
*Vit. auct. cap. 6. ἐπίχλωρον A^1 C^1.	ἔτι χλωρὸν Ψ et rell. codd.
*ibid. cap. 24. ἐκλύτης A^1 C^1.	ἐκχύτης Ψ et v.
De sacrif. cap. 3. ἐκ A^2 C^2.	παρὰ B et rell. codd.
ibid. cap. 4. καταγνωσθεὶς A^2 C^2.	καταδικασθεὶς B et rell. codd.
*Piscat. cap. 4. προςιὼν A^1 C^1.	σιωπῶν B et rell. codd.
*ibid. cap. 32. αἱροίμην A^1 C^1.	ᾑρήμην B et rell. codd.

---

[6]) Conf. meliorem hujus codicis collationem, quam Fritzschius ad libellum De merced. cond. et ad Apologiam nactus est.

[7]) Conf. Fritzschi praefationem ad fascic. I. pag. V. in fine.

***Tyrannic.** cap. 1. *ἐποίησε καὶ ἱκανὴν* A^1 C^1.	*ἐποίησεν ἱκανὴν* **B** et rell. codd.
***Abdicat.** cap. 4. *δόκησιν* A^1 C^1.	*δόσιν* **B** et rell. codd.
Phalar. I, 12. *κακοδαιμονίαν* A^2 C^2.	*κακομηχανίαν* **B** et rell. codd.
Demonact. vit. cap. 28. *ὄρνιν* A^2 C^2.	*τράγον* **B** et rell. codd.
***Imagg.** cap. 3. *ἐπισφαλέστερον* A^1 C^1.	*ἀσφαλέστερον* **B** et rell. codd.
Toxar. 7. *κοράκους* A^2 C^2.	*Κοράκους* **B** et rell. codd.
Bis accus. *κατηνάγκασα* A^1 C^1.	*κατηνάγκασα* Ψ et rell. codd.

Attamen verisimilius videtur, nos non tam geminos habere, quam alterum ex altero prognatum esse. Primum enim ordinem libellorum in ambobus plane eundem esse compertum habeo, nisi quod in C ante Rhet. praeceptorem,[8]) priores quinque dialogi mortuorum collocati sunt et post Deorum dialogos Nigrinus, Icaromenippus, Anacharsis, Menippus, Hermotimus, Apologia pro mercede conductis, Alexander, Prometheus, Eunuchus consecuntur, qui libri in Gorlicensi desunt. Deinde vero cum C codicem e tribus partibus, quarum et aetas et materia diversa sit, constare et priores quinque mortuorum dialogos in bombycina, reliquos in chartacea legi notum sit, [9]) in Gorlicensi autem iidem illi quinque dialogi optimos, reliqui deteriores sectentur codices, quod et ipsum in C animadvertes, non dubito, quin A totus ex C, qualis nunc est, transcriptus sit, coagmentatis mortuorum dialogis iisque libellis, quos modo enumeravi, omissis. Neque temporum ratio nimis obstat, quoniam A saec. XIV. scriptum esse narrant, antiquissimam autem Parisini partem bombycinam saeculo XIII. attribuunt. De reliquis partibus haec refert Lossius:[10]) „recentior videtur membranacea codicis particula, quae paucorum foliorum numerum non excedit; in chartaceo denique duo literarum genera inveniuntur, partim simpliciora, partim artificiosa, utraque tamen, ut videtur, e saeculo XV.“ Sed cum haec ratiocinatio infirmior esse videatur, non possum, quin in sententia mea persistam. Nam quomodo tandem fieri potest, ut codex, qui una eademque manu exaratus est, id quod de Gorlicensi tradunt, cum alio codice, qui e tribus partibus consarcinatus sit, omnino fere consentiat et in lectionibus et

---

[8]) Conf. Jacobitzi praefationem pag. IX. sqq., ubi librorum, quos Gorlicensis continet, tituli deinceps exarati leguntur.

[9]) Conf. Jacobitzi praef. pag. XXIV.

[10]) Conf. Jacobitzi praef. pag. XXIV.

in libellorum ordine, qui in reliquis libris diversissimus est, nisi ex ipso profluxit?

Sunt quidem loci secundum eam quam habemus collationem, qui opinioni meae infesti esse videantur; omissis autem iis, ubi neque Parisini diserta mentio facta est neque Gorlicensis a C solo, sed ab omnibus codicibus ita recedit, ut fontis auctoritatem licenter abjecisse videatur, eae restant scripturae, in quibus A cum aliis codicibus concinit, a C dissonat. Quae discrepantiae unde sint ortae, non paucis locis apte potest explicari:

1) Consimiles vocales vel diphthongi in A substitutae sunt; conf. Ver. hist. I, 35. *Ψηττόποδες* C — *Ψιττόποδες* A; Lucii cap. 12. *οἰκέτην* C — *ἱκέτην* A; Demonact. vit. cap. 17. *γραμμάτειον* (sic) C — *γραμμάτιον* A.

2) Non raro verborum collocatione differunt C et A, quae differentia inde nata esse videtur, quod in C una pluresve voculae sive supra versum scriptae, sive in margine additae sunt; qua in re indicanda socordem fuisse Belinum cognoscimus ex Philopseude, ubi, M codice apud Fritzschium recens collato, in hoc ipso codice non pauca man. sec. suprascripta esse edocemur, silente Belino. Conf.

πιόντι — *καὶ τὸν Δία*
Dial. marin. II, cap. 2. *περιφέρεσθαι*; Dial. deor. 20, 10. *καὶ τὸν δικαστήν*;

τῶν βατράχων — *εἰ δοκεῖ*
Ver. hist. I, 23. *ὀπτωμένων*; Gall. cap. 30. *παρὰ Γνίφωνα*; Rhet. praec.

οὐδὲ
16. *καὶ σκορακιεῖ.*

3) In Gorlicensi interdum aperta, quibus C scatet, vitia leni facilique mutatione correcta sunt. Conf. Dial. mar. 4, 1. *οὐδὲν τοιοῦτόν τι* C — *οὐδὲν τοιοῦτο* A; ibid. 8, 1. *καὶ κατεναυμάχησε καὶ* C — *κατεναυμάχησε καὶ* A; Jov. trag. cap. 6. *μενέτων* C — *μενόντων* A; Rhet. praec. cap. 10. *ἴσως* C — *τέως* A; Bis accus. cap. 27. *περιηγομένη* C — *περιαγομένη* A; Fugitiv. cap. 28. *ἢ* C — *ἦν* A.

4) Nonnullis denique locis in conficiendo Gorlicensi alius codex adhibitus esse videtur, cujus rei mihi testes sint: Piscat. cap. 4. *ὁ προσιὼν* A C, sed A in marg. pr. m. *ὁ σιωπῶν*, quod rell. codd. habent; De merced. cond. cap. 4. *ὅλων* C — *ὅλων*[ς] A *ὅλων* M; Lucii cap. 22. *παιόμενος* A C, sed A in marg.

τίθεται
τυπτόμενος cum F M; Ver. hist. II, 22. *γίνεται* C — *γίνεται* A, *τίθεται*

rell. codd.; Parasit. cap. 2. *πολύς* A C, sed A in marg. *πάμπολυς* cum rell. codd. His enim locis, quod ex editorum silentio colligas, altera lectio eadem qua codex ipse manu scripta est.

Praeterea, nisi fallor, septuaginta fere loci residui sunt, ubi nulla mihi in promtu est expediendi ratio, cur A et C in minutis plerumque rebus inter se dissentiant. Quorum paucitas quam sit pro nihilo in tot libellorum scriptore, in tanta lectionum utriusque codicis communione, neminem fugit. Adde quod Belino ne tum quidem, quum Parisinum diserte adlegat, fidem habere possumus. Evolvas, quaeso, libellum De merced. cond., in quo Belinus ter de C falsa retulit: cap. 4. *ἀφέλοι* C (Belin.) — *ἀφέλῃ* C cum A (Fritz.); cap. 12. *εὐτύχεις* C (Belin.) — *εὐτυχεῖς* C cum A (Fritz.); cap. 15. *οἰκία* C (Belin.) *οἰκετεία* C cum A (Fritz.). Deinde vero Belinus haud dubie non raro vel pro altero Parisino alterum, vel pro uno plures citavit testes, quod suspicati editores interrogandi signum apponere solent. Denique Fritzschius in Demonactis vita Parisino C aliquot tribuit lectiones, quae illius non esse videntur. Boissonadius enim ad Aristaenetum compluries mentionem injecit Parisini cujusdam num. 3010, cui Fritzschius tacite C Parisinum num. 3011. substituit. Sed cum et aliis locis alii codices Parisini[11]) adhibeantur, quibus Belinus usus non est, non video, cur duo illi codices confundendi sint.

Quae cum ita sint, non est quod A et C pariter in A^1 C^1 et A^2 C^2 dirimendos esse moneam. Ceterum ne in iis quidem libellis, ubi optimis codicibus adscribendi sunt, interpolationibus vacant. Documento sunt ii loci, quos supra, cum scripturas horum codicum proprias congessi, asterisco notavi.

Relicum est, ut eorum, de quibus adhuc disserui, codicum quasi stemma quoddam ante oculos ponam:

β

Ψ.

B O G. C^1.

A^1.

His absolutis ad alteram archetypi propaginem progrediendum est, cujus

---

[11]) Sympos. sive Lapith. cap. 4 et cap. 19. Parisinus 1041; Saturn. cap. 1 et cap. 4. Parisinus 2600; apud Duebnerum in editione Dial. mort. Paris. 1864. praef. pag. IV. Parisinus 2320.

rationes explicare tanto difficilius est, quanto semita herbarum luxurie obscurata aperta via impeditior.

Quoniam Luciani opera a correctore quodam dedita opera recensita esse videntur, cujus rei supra mentionem fecimus, interpolationes ab illo profectas ab iis secernendas esse apparet, quae unicuique codici peculiares sunt.

Quapropter exordium capiam a Florentino Φ, cujus collationem, quoad collatus est, Fritzschio debemus. Etenim hic codex distinctius, quam ceteri consanguinei, recensionis illius imaginem exprimere videtur, neque raro usu venit, ut cum sinceris codicibus conspiret, cum reliqui (F L M Q Ω a) pariter discrepent. E multis paucos adscribam locos:

Somn. cap. 12. *τῆς δυνάμεως τῶν λόγων* A^1 Ψ Φ.	*τῶν λόγων τῆς δυνάμεως* Ω F Q et v i. e. a.
ibid. cap. 14. *συνέπριε* A^1 Ψ Φ.	*ἐνέπριε* (*ἔπριεν* Ω) Ω F Q v i. e. a.
Alexand. cap. 5. *τοῖς ἐχθροῖς* B Ψ Φ.	*ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς* Ω F M a.
ibid. cap. 13. *τὴν ἅρπην ἐκείνην* B Ψ Φ.	*τὴν ἅρπην* Ω F M.
ibid. cap. 33. *ὑπὲρ τοῦ* B C^1 Ψ Φ.	*περὶ τοῦ* Ω F M a.
ibid. cap. 31. *πάνυ φιλοφρόνως* B Ψ Φ.	*φιλοφρόνως* Ω F M a.
Gall. cap. 2. *ἡμίεφθα* A^1 C^1 G Φ.	*ἡμίοπτα καὶ ἐφθὰ* Ω a (*ἡμίεφθα καὶ ὀπτὰ* L).

Diversum de Florentino judicium in Bis accusato faciamus necesse est, cum Ω sexagies fere propius ad A^1 C^1 Ψ accedat, quam Φ; Φ autem viginti tantummodo locis Marciano praeferendus sit. Qua de causa in hoc libello sui sit dissimilis factus Florentinus, explicare nescio; id ipsum vero Fritzschio mirum est visum, qui de Sommerbrodti collatione saepissime dubitavit. Nihilominus inter deteriores libros principatum tenet Florentinus, praesertim cum iis vitiis, quae committere solent librarii, non nimis sit inquinatus.

De editione Florentina longus esse nolo. Inspectis Alexandro, Bis accusato, Philopseude, ad quos Fritzschius meliorem collationem Parisini M excussit, facile cognosces, editionem illam quasi vacillare inter Florentinum Φ et Parisinum M, sed ita, ut paene quasi justo quodam vicario ea uti possimus, ubi M non suppeditat. Ceterum minime ubique sibi constat, sed in aliquot libellis, velut in Necyomantia, ab optimis codicibus prope abest.

Artius cum Florentino Φ copulandus videtur is codex, qui correctori, cujus

manum saepe expertus est Parisinus M, in promtu fuit, id quod paucis hisce confirmabo exemplis:

Alexand. cap. 19. καλέσειν ἔμελλε κατὰ τάξιν τοὺς δεδωκότας Φ.	κατὰ τάξιν sec. m. καλέσειν ἔμελλε τοὺς δεδωκότας M pr. m. et Ω F.
ibid. cap. 26. ὀθονίνου Φ.	ὀθονίνου sec. man. ὀθονίου M pr. m. et Ω F.
Philopseud. cap. 14. πολύφοτον Φ.	πολύφωτον sec. m. πολύμορφον M pr. m.
ibid. cap. 19. βάσεως Φ.	βάσεως sec. m. στάσεως M pr. m. et a.
Bis accus. cap. 20. ἐξετάζετε Φ.	ἐξετάζετε sec. m. ἐξέταζε pr. m. M.

Codicem Marcianum Ω plerumque gravius corruptum esse, quam Florentinum Φ, exemplis satis comprobatum est; neque tamen tanta est pravitate, ut ad Guelferbytanum F et Parisinum M ubique descendat. Quod quamvis in aliis quoque libellis animadvertere liceat, tamen uno Alexandro teste utar, quippe qui fidelissimus sit atque certissimus:

Alex. cap. 18. μετ' ὀλίγον παμμεγέθους γεγενημένου B Ψ Φ Ω.	μετ' ὀλίγον om. F et M pr. m.
ibid. cap. 20. ὡς ἀληθῶς B Ψ Φ Ω.	ἀληθῶς F M.
ibid. cap. 22. εἰκαστικὸν B Ψ Φ Ω.	εἰκὸς F M.
ibid. cap. 28. χρησμοὺς B Ψ Φ Ω.	θεσμοὺς F et M pr. m.
ibid. cap. 50. σαλαγεῖ B Ψ Φ Ω.	om. hoc verbum F et M pr. m.

Jam pervenimus ad codices nequissimos Guelferbytanum F et Parisinum M; sed hoc loco in tantis versamur difficultatibus, ut quomodo me expediam paene ignorem. Primum enim Parisinus M neque ab eodem, sed a duobus temporibusque diversis scriptus est,[12]) neque quosnam quaeque pars contineat libellos compertum habeo. Deinde ad quatuor tantum libellos tali utimur collatione, cui fides possit haberi, quam in Lucio sive asino Courierio, in Alexandro, Philopseude, Bis accusato Fritzschio debemus. Inde satis perspicua fit Belini so-

---

[12]) Conf. Jacobitzi praef. pag. XXV.

cordia, qui saepe minuta ineptaque vitia adnotet, gravissimas discrepantias silentio praetermittat.

Quodsi Alexandrum perlustramus et Lucium, nullum fere discrimen intercedere videtur inter **F** et **M** pr. m., neque aliter res sese habet in magna libellorum parte. At non ubique haec ratio constat; sunt enim libelli, ubi valde dissonant. Atque in hac quaestione quam maxime dolendum est, quod proba Parisini collatione caremus, qua re factum est, ut de ineunda ratione critica in multis libellis incerti haereamus. Haec jactura aliqua ex parte eo compensatur, quod editio Florentina a Jacobitzio diligenter collata est. Itaque si diserta mentio facta non est, in editione Jacobitziana vulgatae signo (v) Parisinus **M** fortasse, Florentina editio certe subest. Hisce igitur quasi norma usi, Guelferbytanum saepenumero per totos libellos ita deflectentem videmus, ut et 1, peculiares habeat interpolationes permultas et 2, saepius cum *β* propagine consentiat, quam **M** a. Lectionum ejus plerumque particeps est Parisinus **L**, a Belino more suo collatus. Documenta afferam e Deorum dial. hacce:

ad 1.	
Dial. deor. 2, 1. *παιδίον γάρ εἰμι καὶ ἔτι ἄφρων* A^1 **B** et v.	*καὶ ἔτι ἄφρων* om. **F L.**
ibid. 4, 3. *ἀλλ' ἀθάνατος* A^1 **B** et v.	*ἀλλὰ θεὸς ἀθάνατος* **F L.**
ibid. 4, 4. *σε ἀνήρπασα, ὡς ἅμα* A^1 **B** et v.	*γε ἡ* (*ἡ* om. **L**) *σπουδὴ πᾶσα, ἵνα ἅμα* **F L.**
ibid. 10, 1. *πολύαθλον* A^1 **B** et v.	*πολύμοχθον* **F L.**
ibid. 14, 1. *σκυθρωπὸς* (*σκυθρωπὸς εἶ* v) A^1 **B** et v.	*κατηφὴς εἶ* **F L.**
ibid. 14, 2. *ἐνέσεισε φέρων αὐτὸν* A^1 **B** et v.	*ἐνσείσας ἐφόνευσεν αὐτὸν* **F L.**
ad 2.	
Dial. deor. 2, 2. *τὴν σὴν πρόσοψιν* A^1 **B F L.**	*τὴν πρόσοψιν* v.
ibid. 5, 4. *αὐτοῦ* A^1 C^1 **B F L.**	*αὐτῶν* v.
ibid. 10, 2. *τριῶν ἑξῆς* A^1 **B F L.**	*ἑξῆς τριῶν* v.
ibid. 14, 1. *τὸν τρόπον* A^1 C^1 **B F L.**	*τὸν λόγον* v.

Nihilominus ex iisdem deorum dialogis sat larga congeri potest locorum

copia, ubi Guelferbytanus cum solo Parisino M conspirat, a reliquis codicibus omnibus diversus est:

Dial. deor. 2, 1. *συνῆκα* A^1 B et v.	*συνῆλθον* F M.
ibid. 6, 4. *παρακατακλίνωμεν* A^1 B et v.	*συγκατακλίνωμεν* F M.
ibid. 6, 5. *ποιήσει* A^1 B et v.	*ἥξει* F M.
ibid. 23, 1. *ἰᾷ* A^1 B et v.	*θεραπεύει* F M.
ibid. 23, 2. *κατ' αὐτάς* A^1 B et v.	*περὶ αὐτάς* F M.

Denique ejusmodi loci mihi addendi sunt, ubi F L M a, qui v signo comprehenduntur, ab A^1 B pariter recedunt:

Dial. deor. 5, 2. *εἰκαῖον* A^1 B.	*'Ιδαῖον* v.
ibid. 7, 1. *προςμειδιᾷ* A^1 B.	*προςγελᾷ* v.
ibid. 12, 1. *γραῦν ἤδη — οὖσαν* A^1 B.	*οὖσαν* om. v.
ibid. 21, 1. *καταπονήσειν* A^1 B.	*καταβαρήσειν* v.

Jam quaeritur, quomodo haec quatuor exemplorum genera, quae sibi contradicere videntur, apte possint conciliari. Constat igitur Guelferbytanum in Deorum dialogis et ab A^1 B et a Parisino M multifariam discrepare, sed ita, ut ad optimos codices nonnunquam accedat, ubi M a procul absunt. Inde meo jure concludere mihi videor, eum originem duxisse e codice aliquo, qui a communi omnium librorum fonte, quem A^1 B optime referunt, minus discesserit, quam M a (quod et ipsum de Florentino Φ supra ostendimus), sed qui peculiares habuerit interpolationes permultas. Sed quomodo haec ratio stare potest, cum F saepissime cum solo Parisino ita congruat, ut gemini esse videantur? Hoc ut explicem, Guelferbytanum non ex uno codice profluxisse, sed e duobus contaminatum esse conicio, quorum alterius indolem modo descripsi, alter Parisino M simillimus fuit. Et sunt quae huic conjecturae faveant; primum enim princeps dialogorum meretriciorum in Guelferbytano longo spatio intermisso bis legitur,[13]) quod enucleare non possum, nisi duobus fontibus assumtis. Huc accedit, quod A^2 C^2 re vera e tali manarunt codice, qualem F et L, si a contaminatione illa discesseris, repraesentant.

Dial. mar. 1, 5. *ὠμοφάγος* B et v.	*ὠμοβόρος* A^2 F et sine dub. C^2.
ibid. 4, 3. *φανερὸς* B et v.	*ἐπίσημος* A^2 F et sine dub. C^2.

---

[13]) Conf. Jacobitzi praef. pag. XX lin. 1 et pag. XXI lin. 10.

ibid. 15, 3. ἰδεῖν B et v.	ὀφθῆναι C^2 F (in A^2 hic dial. periit).
Dial. mort. 18, 1. ὅμοια B O Ψ Ω et v.	καὶ ὅμοια A^2 F et sine dub. C^2.
ibid. 21, 2. τῶν τοιούτων B O Ψ Ω et v.	τούτων A^2 F et sine dub. C^2.
ibid. 22, 2. κομίζειν B O Ω et v.	κομίζεσθαι A^2 F et sine dub. C^2.
Menipp. cap. 4. τῷ θερμὸν B O G Φ Ω et v.	τὸ θερμὸν C^2 L.
Charon. cap. 15. οἴχονται B Ω et v.	ᾤχοντο A^2 C^2 L.

His exemplis, quorum numerum facile augere poteris, alterum accedit argumentum. Etenim A et sine dubio etiam C Mortuorum dialogos, exceptis quinque prioribus, in quibus, ut supra monuimus, optimos codices sectantur, ita exhibent, ut neque numero neque ordine a Guelferbytano differant. Triginta, qui superstites sunt, mortuorum dialogi omnes leguntur in Vindobonensi B, Monacensi O, Parisino M; de Venetis parum constat. Contra in A^2 C^2 F, non paucis omissis, reliqui hunc in modum dispositi sunt[14]): 22. 21. 18. 10. 11. 27. 29. 30. 12. 23. 25. Idem animadvertes in Dial. marinis, quorum collocatio in A^2 C^2 F a vulgari ita discrepat: 1. 2. 3. 4. 8. 9. 5. 6. 10. 7. 11. 12. 13. 14. 15.

Quod ad Guelferbytanum attinet, ex hac, quam dedi, originis expositione exiguos ad reformandum Luciani textum fructus percipimus, quippe cum omnes editores ejus nequitiam agnoverint. Quam ob rem longus esse nolo, ut, in quibusnam libellis F sive solito plura ex M depromserit, sive totus ex ipso descriptus esse videatur, indagem, praesertim cum justa Parisini collatio desit; sed id dico, in extrema Guelferbytani parte, inde ab exitu Dialogorum deorum[15]) hosce codices paene aequales esse videri, cum in prioribus libellis plus minusve discrepuerint. Itaque in stemmate, quod subsequitur, numeris appositis (F^1 et F^2) indicabo, aliter esse in aliis libellis de hoc codice judicandum, quamquam discernere non audeo, quanti in singulis libellis aestimandus sit.

Eo majoris est momenti hoc inventum meum in Gorlicensi atque Parisino C, nam omnes editores hos codices, imprimis autem Gorlicensem adeo semper adamarunt, ut diversam esse diversarum partium indolem vix somniasse videan-

---

[14]) Conf. Jacobitzi praef. pag. XI. et pag. XX.

[15]) Conf. Jacobitzi praef. pag. XX. in fin.

tur.[16]) Adde quod A^2 C^2 peculiares monstrant interpolationes non paucas, id quod supra speciminibus datis illustravi, neque dubitabis, quin infimo loco habendi sint, etiamsi (quod et ipsum in Guelferbytano F ostendi) cum optimis codicibus concinunt, ubi Ω M a dissonant.

Charon. cap. 22. πεποιημένος B A^2 C^2.	ποιησάμενος Ω M.
ibid. cap. 24. ὀνόματι B A^2 C^2.	αἵματι Ω M.
Phalar. II, 2. δημιουργοὺς om. B A^2 F.	δημιουργοὺς servat v.
Bacch. cap. 5. Διόνυσον B A^2 F.	λόγον M a.

Atque haec res causa est praecipua, cur A et C codicum bonitatem vel pravitatem ubique pro certo discernere non possimus; licet enim discrepent ab Ω M a, quin etiam a Guelferbytano, quippe qui aliunde additamenta acceperit, tamen nihilo secius deterioribus codicibus nonnunquam adscribendi sunt. Itaque, ut certum facere judicium queamus, tali opus esse apparet codice, qui haud ambigue ex β fonte totus sit derivatus (B O Ψ). Unde profectus cum in Gorlicensi atque Parisino C inde a Somnio, quod locum quadragesimum octavum obtinet,[17]) usque ad finem Dialogorum deorum (67) multos libellos optime traditos esse cognoverim: Somnium, Timonem, Adversus indoctum, Jovem confutatum, Deorum concilium, Gallum, Bis accusatum, Vitarum auctionem, Rhetorum praeceptorem, Muscae encomium, De domo, Fugitivos, Calum. non tem. cred., Deorum dialogos, non dubito quin etiam ii libelli, qui his interpositi sunt, Convivium, Vocalium judicium, Pseudosophista, Pro Lapsu in salut. in eadem sint condicione, quippe qui nihil habeant, quod contra hanc opininem pugnet. Hanc igitur partem ex probo quodam codice desumtam esse constare videtur, reliqua vero, quae et antecedunt et subsecuntur, deteriorem originem aut aperte produnt aut certe redolent.

Sed ne tum quidem, cum praestanti aliquo codice quasi comite utimur, prorsus certum est, quale sit horum codicum (A C) pretium. Nam si Guelferbytanus ejusmodi est, ut ad Parisinum M proxime accedat, ex iis, quae supra exposuimus, apparet, A^2 C^2 saepenumero fortasse a F M dissentire, cum opti-

[16]) Vide Sommerbrodtium (Lectt. codd. Marcianorum pag. VIII): „Hunc codicem (Ω), in optimis numeramdum esse, vel eo comprobatur quod proxime abest a Gorlicensi A."

[17]) Conf. Jacobitzi praef. pag. X.


mis codicibus consentire. Itaque ex iis libellis, qui ita sunt comparati, duo colligi possunt exemplorum genera, quorum alterum, ut A^1 C^1, alterum, ut A^2 C^2 agnoscamus, suadeat. Attamen si istic Gorlicensi atque Parisino C favemus, fieri non potest, quin Vindobonensi B infesti simus atque iniqui; nam ubi A^1 C^1 a B recedentes cum deterioribus codicibus conspirant, Vindobonensis interpolatus esse necessario nobis putandus est. Idem valet de Marciano Ψ. Jam vero cum B nunquam fere, Ψ non nimis frequenter interpolationibus inquinatum esse sciamus, alteram inire rationem satius videtur. Quam ob rem ea, quae supra (pag. 4.) ex **Abdicato** attuli exempla, aliis jam evertam:

Abdicat. cap. 7. ᾤετο B.	οἴεται A^2 C^2 F M.
ibid. cap. 8. μήτε διαβολὴν B.	μήτε πρὸς διαβολὴν A^2 C^2 F M.
ibid. cap. 28. ὑγροῦ περιττοῦ B.	περιττοῦ om. A^2 C^2 F M.

Videmus igitur satis difficilem esse hanc quaestionem, quae prorsus ad liquidum perduci non potest, priusquam certam habeamus omnium codicum notitiam.

Relicus est codex Monacensis, olim Augustanus Q, cujus prima manus a Guelferbytano F non diversa esse videtur. Conf. **Somn.** cap. 1; cap. 6; cap. 9. init.; cap. 10. sub fin.; cap. 12 med. Secunda manus, quam saepe expertus est Q, Florentino Φ affinis est. Conf. **Somn.** cap. 3; cap. 9. init.

Jam quo facilius perspiciantur, quae de codicum origine atque cognationibus hucusque disputavi, repetitis iis, quos supra (pag. 13) disposui, omnes in uno quasi conspectu ponam:



Non desunt quidem loci, qui ab hoc stemmate degenerasse videantur, sed neque adeo sunt multi, neque tantum valent, ut codicum cognationem recte indagatam esse negemus. Primum enim mihi persuasum habeo, libris manuscriptis melius, quam adhuc factum est, excussis, non pauca ejusmodi obstacula remotum iri, deinde variae lectiones, etiam nostris codicibus sparsim adscriptae, viam rationemque colluvionis satis indicant.

Jam via, opinor, satis munita, ad eos progrediamur codices, quos ratiocinando invenimus, β et γ literis insignitos, quorum alterum sincerum, alterum interpolatum fuisse, non est quod moneam.

Ut β codicem archetypi imaginem omnibus numeris absolutam expressisse negandum est, ita constare videtur, non eo fuisse animo librarium, ut ad arbitrium suum quaelibet adderet, omitteret, mutaret. Imprimis negotia mihi facessunt lacunae, quae partim ita comparatae sunt, ut expleri debeant, partim recte se habent, velut in Necyomantia. Saepissime haud dubie in singulis codicibus (B O G Ψ A^1 C^1) mera neglegentia ortae sunt, nonnunquam vero et lacunae et corruptelae ad mendosam archetypi hujus familiae condicionem referendae sunt. Hujus rei unum exemplum paulo uberius exponam. Alex. cap. 61. legimus: Ἐπικούρῳ — ἀνδρὶ ὡς ἀληθῶς ἱερῷ καὶ θεσπεσίῳ τὴν φύσιν καὶ μόνῳ μετ' ἀληθείας τὰ καλὰ ἐγνωκότι καὶ παραδεδωκότι καὶ ἐλευθερωτῇ τῶν ὁμιλησάντων αὐτῷ γενομένῳ. Pro παραδεδωκότι B C^1 Ψ περὶ ἀδήλου exhibent, quod et sensu caret et verae lectioni dissimillimum est. Hanc scripturam ita expedio, ut codicem, e quo deducti sunt B C^1 Ψ, hoc loco ita mancum fuisse statuam: παρα . . . . Supra scripsit librarius ἄδηλον i. e. legi non potest, id quod postea ita depravatum est, ut περὶ ἀδήλου in textum reciperetur. Neque exiguum haec opinio inde accipit adjumentum, quod solito frequentiora hoc loco in B C^1 Ψ insunt vitia.

De iis lacunis, quae probandae videntur, hoc loco non agam, ne hujus disputatiunculae fines excedam.

De reliquis bonorum codicum mendis in eam mentem inductus sum, ut, neglectis minutis illis discrepantiis, quas supra ad Vindobonensem B notavi, horum codicum scripturam, quamvis corruptam, emendare, quam speciosas deteriorum lectiones recipere satius ducam.

Recensionem illam, quam identidem memoravimus, γ repraesentat.

Jamjam eo pervenimus, ut codices nostros ex uno omnes archetypo fluxisse comprobari possit, qua de re Fritzschius ita judicat:[18]) „Maxime vero fontem codicum quaerimus antiquissimum, non unum codicem (neque enim ut Aeschylus fortassis e Mediceo, ita etiam Lucianus uno ex codice totus profectus est); sed

---

[18]) Conf. Fritzschi praef. fasc. I. pag. XIII.

primum duo, quorum alter correctionem antiquissimam, scripturam alter correctione liberam servavit“ etc. Sed non video, cur in duobus illis codicibus constiterit vir doctissimus, quoniam in tanta vitiorum communione non possumus, quin unum statuamus archetypum.

Primum igitur de lacunis disputandum est, quae omnibus codicibus pariter insident.

Deor. dial. XX, cap. 10. in una editione Juntina, quae parum fidei habet, invenies verba: *Ἀπόδυθι καὶ σύ, ὦ Ἀφροδίτη,* quibus, ni fallor, carere non possumus, quoniam his omissis *αὐτήν,* quod sequitur, non habet, quo recte referatur. Nam paulo ante de Junone sermo erat, *αὐτήν* vero ex sententiarum conexu ad Venerem respiciat oportet. Neque aliter Nigrin. cap. 30. tres solum editiones (in quo numero eadem illa Juntina est) contra omnium codicum auctoritatem (B Ω Φ M a) *οἱ δὲ ἄλλο τι* inserunt, quod supplementum, cum recte se habere videatur, merito retinuerunt recentiores editores. Fritzschius saepissime lacunae signum posuit, interdum temere, multis locis optimo jure velut Somn. cap. 4 et cap. 7. Alex. cap. 13 et cap. 24. Praeterea conferas Toxar. cap. 5, quem locum lacunosum esse Bekkerus vidit.

Hisce aliquot locos adjungam, quos mancos esse ego censeo.

Charon. cap. 18. legimus: *Ὅπου δὲ τὰ τούτων πονηρά, λογίζεσθαι καιρός, οἷα τὰ τῶν ἰδιωτῶν ἂν εἴη,* quae verba latine ita reddenda sunt: „quoniam horum (scil. regum) condicio misera est, exputare commodum, qualis sit privatorum hominum.“ Primum in priore enunciati membro verbum *ἐστίν* desideramus, quo omisso obscurior fit verborum constructio. Sed praeterea restat quo offendamur. Quis enim hunc in modum ratiocinatur, ut malam regum condicionem causam esse dicat, cur progrediatur oratio? Deest haud dubie verbum vel dicendi vel sentiendi, quo expleatur lacuna, velut: *ὅπου δὲ τὰ τούτων πονηρὰ [ἱκανῶς ἐσκοπούμεθα], λογίζεσθαι καιρός, οἷα τὰ τῶν ἰδιωτῶν ἂν εἴη.* Jam recte atque ex consuetudine sermonis Graeci omnia procedunt.

Muscae enc. cap. 12. vulgo legitur: *ἀμφότερα καὶ τὰ θηλειῶν καὶ τὰ ἀρρένων δρῶσι* (scil. *αἱ μυῖαι*) *βαίνοντες ἐν τῷ μέρει κατὰ τὸν Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης παῖδα.* Collatis locis geminis Piscat. cap. 8. *διδόντας λόγον καὶ δεχομένους ἐν τῷ μέρει* et De saltat. cap. 10. *παίσαντες — καὶ παισθέντες ἐν τῷ μέρει,* alterum participium etiam hoc loco requiri videmus. Praeterea in

codicibus (A[1] B Ψ F) ante *βαίνοντες* vocula *καὶ* legitur, quam temere neglexerunt editores. Sine dubio locus ita supplendus est: *ἀμφότερα καὶ τὰ θηλειῶν καὶ τὰ ἀρρένων δρῶσι [βαινόμεναι] καὶ βαίνοντες ἐν τῷ μέρει.* Conf. Herodot. I, 192. *πάρεξ τῶν πολεμιστέων* (scil. *ἵππων*) *οἱ μὲν ἀναβαίνοντες τὰς θηλέας ὀκτακόσιοι, αἱ δὲ βαινόμεναι ἑξακισχίλιαι καὶ μύριαι.*

Saturn. cap. 7. *καὶ ἄλλως δὲ καλῶς ἔχειν ἐδόκει μοι διανείμαντα τοῖς παισὶν οὖσι τὴν ἀρχὴν αὐτὸν εὐωχεῖσθαι.* Saturnus in eo est, ut sacerdoti, cur filiis regnum commiserit, exponat. Quodsi *παῖς* hoc loco idem valet, quod *υἱός*, participium *οὖσι* moleste abundat; altera vero interpretatio, quam ipsa verba suadent, „quippe qui pueri essent," absurda est, quod pueri minime apti erant, qui imbecillo patri succederent. Itaque *τρισὶν* ante *οὖσι* intercidisse suspicor, vel quod minus probabile videtur, adjectivum aliquod velut *ἐῤῥωμένοις*. Haec de lacunis sufficient.

Praeterea autem innumeris locis Luciani verba adeo corrupta sunt, ut codices medelam non suppeditent, quos, licet rebus minutis inter se discrepent, idem omnes vitium traxisse manifestum est. Conferas, quaeso, Dial. mort. XII, 3. *ἐῤῥαψῴδουν* A[2] C[2] B F M a pro *ῥαψῳδῶν*; Timon. cap. 18. *τοῦ κύματος* A[1] O Ψ Ω L pro *τοῦ κύτους*; Menipp. cap. 16. *πρὸ τοῦ γίγνεσθαι* (*γενέσθαι* Φ C[2] Ω L M) B O G Φ C[2] L Ω M a pro *πρὸ τοῦ γίγνεται*;[19]) Alexand. cap. 2. *μίνναν* (*μήνναν* Ψ) B C[1] Ψ Φ Ω F M a pro *Μυσίαν*. Nonnunquam mirabiles errores scholiis excusantur, velut Deor. dial. 14, 2. *ἀπὸ τὸ ταυγέτον* A[1] B a (in F alia corruptela cernitur) pro *ἀπὸ τοῦ Ταϋγέτου*; Dial. mort. 5, 2. *Ὀϊλέως* B O Ψ Ω pro *Ἰολέως*. Quae cum ita sint, Luciani quos novimus codices secretis viis ab ea integritate, qua Lucianus scripta sua composuerit, ad hanc foeditatem pervenisse nego.

Jam vero quaeritur, utrum ii codices, quos superstites habemus, e compluribus exemplaribus, non magno opere inter se diversis, an ex uno eodemque sint deducti. De Luciani vita et scriptis nihil fere a veteribus grammaticis memoriae traditum est. Quae legimus apud Suidam s. v. *Λουκιανός* magna ex parte falsa sunt atque fabulosa; e Photio autem (cod. 128) nihil novi comperimus, nisi quid ipse de Luciano judicaverit. Neque ullam usquam Lucianei sermonis rationem

---

[19]) Inde in Φ C[2] Ω L M nova orta est interpolatio, dum B O G originalem monstrant labem.

habuerunt antiquiores grammatici, sed inferiorum demum temporum lexicographi velut Thomas Magister, ejus auctoritate usi sunt. Denique ne apud reliquos quidem priorum saeculorum scriptores Luciani mentionem factam ejusque verba laudata esse reperio. Inde cum satis appareat, non percrebruisse illis temporibus Luciani opera, quippe qui religionem Christianam irrisisse putaretur, unum tantum exemplar aetatem tulisse Lucianique notitiam propagasse, vero non absimile est, praesertim cum idem in tritissimis factum sit auctoribus.

Certius argumentum inde repetere licet, quod saepe gravissimae librorum nostrorum diversitates facile ita possunt expediri, ut in archetypo fortuitum quendam librarii errorem statuamus. Praemonendum autem est, voce aliqua in archetypo suprascripta in apographis id effici solere, ut aut ipsa prorsus omittatur, aut in vicem ejus vocabuli, cui suprascripta est, substituatur, aut alio loco textui inseratur aut denique suo loco maneat. Dial. deor. II, cap. 2. interrogat Jupiter Amorem, quo modo eo possit pervenire, ut gratus fiat mulieribus. Respondet Amor: *εἰ δ' ἐθέλεις ἐπέραστος εἶναι, μὴ ἐπίσειε τὴν αἰγίδα μηδὲ τὸν κεραυνὸν φέρε, ἀλλ' ὡς ἥδιστον ποίει σεαυτὸν ἑκατέρωθεν καθειμένος βοστρύχους.* Ita A^{1} B, nisi quod *καθειμένον* habent. In extremis dissentiunt codices interpolati; F: *ἀλλ' ὡς ἥδιστον ἁπαλὸν ποίει σεαυτὸν καλὸν ὀφθῆναι καθειμένον βοστρύχους*; M: *ἀλλ' ὡς ἥδιστον ποίει σεαυτὸν ἁπαλὸν ὀφθῆναι ἑκατέρωθε καθειμένον βοστρύχους*; L: *ἀλλ' ὡς ἥδ. π. σεαυτὸν ἁπαλὸν καὶ καλὸν ὀφθῆναι, ἑκατέρωθε καθειμένον βοστρ.* Explanat hanc perturbationem Vindobonensis B, in quo post *σεαυτὸν* scriptum erat *ἄπολλον*. In archetypo *ὡς Ἀπόλλων* versui suprascriptum fuisse videtur:

ὡς Ἀπόλλων
ποίει σεαυτὸν ἑκατέρωθεν; nam Apollo Jovi tanquam exemplum proponitur. *Ὡς* aut evanuit, aut ante *ἥδιστον* in textum receptum est (deesse enim potest); *Ἀπόλλων* in *ἁπαλόν* abiit, quod hic illic inculcatum novas peperit interpolationes. Denique non praetermittendum est, quod in Guelferbytano F *ἑκατέρωθεν* suprascriptis loco cessit. Luculentissimum habemus exemplum, a Dindorfio detectum, in Alexand. cap. 60. *ἦν δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ Παῖτος ἰατρὸς τὴν τέχνην, πολίτης ὅς, οὔτε ἰατρῷ πρέποντα οὔτε πολιῷ ἀνδρὶ ταῦτα ποιῶν.* Haec est omnium librorum lectio, quam male sanam esse nemo non videt. Ingeniose Dindorfius *πολίτης ὅς* nihil aliud esse perspexit, quam $\overset{ος}{\text{πολίτης}}$ i. e. *πολιός*, quo recepto omnia plana sunt, nisi fortasse *ὢν* addendum

est. Compendii causa quos jam afferam locos ita instituam, ut pristinam scripturam, qualem fuisse arbitror, adscribam:

ἐκείνην
Somn. cap. 16. *τὴν αὐτὴν ἐσθῆτα* (A^1 Ψ Φ Ω F Q et v).

προ
Dial. mort. cap. 27, 3. *ὑπεξορμήσας* (B O A^2 C^2 F M a).

κατὰ κοινὸν
Vit. auct. cap. 6. *αὐτὸν* (A^1 Ψ Φ Ω et v).

κατὰ
Piscat. cap. 48. *ἄφες αὐτὸν ἐπὶ κεφαλὴν ἀπὸ τῆς πέτρας* (A^1 C^1 B Ψ Φ M v).

δόκει
Rhet. praec. cap. 6. *ἐν θατέρᾳ δέ μοι τὸν πλοῦτον* (A^1 C^1 B Ψ et v).

Pauca ex ingenti multitudine elegi, quae tamen mihi demonstrare videntur, unum fuisse omnium codicum nostrorum archetypum.

Postremo in auxilium nobis vocanda sunt scholia. Quae quamquam magna ex parte nondum edita sunt, cum editorum auctoritate,[20] tum speciminibus, quae passim protulit Jacobitzius, edocti, non nescii sumus, codices B G C Φ F Q M frequenter et inter se et cum Vossiano, cujus scholia vulgo eduntur, praecipue in uberioribus scholiis prorsus consentire. Quamobrem Schubartus,[21] nullis omnino argumentis nixus, scholia ab eo, qui codicem Vindobonensem B scripserit, composita atque ex hoc fonte in reliquos propagata esse conjecit. Contendit enim, dubitari paene non posse, quin hujus codicis auctor etiam scholia, quae ipsi adscripta sunt, confecerit. Sed mihi toto coelo errasse videtur vir doctissimus, etsi nonnulla scholia ab ipso librario composita esse constat, velut memorabile illud ad **Charontis** cap. 17, unde aetas codicis pro certo potest definiri. Certe ejusmodi scholia sibi propria habet Vindobonensis B, ea vero, quae Vindobonensi cum ceteris communia sunt, non ex ipso depromta esse mihi quidem persuasissimum est. Nam quomodo fingi potest, librarios ad eos codices, qui ceteroquin cum Vindobonensi nihil habeant commercii, velut F M, scholia ex ipso esse furatos. Itaque non dubito, quin quae diversissimis codicibus communia sunt scholia, ea in archetypo quoque exstiterint. Conf. scholia ad **Dial. mort.** X, 10. *ἦν ἰδού* (B F); **Dial. mort.** XIV, 4. *κάνδυν* (B M); **Dial. mort.** XXVII, 3.

---

20) Conf. Fritzschi praef. fasc. I. pag. IV. ante med. et pag. VI. ante med.
21) In ephem. antiquitat. stud. a. 1834. pag. 1118. sqq.

διαπαρέντες (B M); Piscat. cap. 20. *τάδε καὶ τάδε* (B M). Dolendum autem est quam maxime, quod tanta est eorum scholiorum paucitas, quorum fontem ipsum novimus; nam neque qualis fuerit Vossianus ille codex, neque unde Galei collectanea, quae saepissime apud Jacobitzium laudata invenies, conflata sint, compertum habemus. Quodsi quando omnia omnium codicum scholia in lucem prodierint, spero fore ut in cognoscendis codicum rationibus multum proficiamus. Ad emendandum Lucianum idcirco nihil prorsus conferunt, quod archetypi nostri memoriam non excedere videntur. Prae ceteris autem memorabile est scholium, quod ad Rhet. praecept. cap. 9. in B paulo fusius, in M contractius legitur.[22]) Agitur hoc loco de Olympiadibus certaminibusque Olympicis, quae finem habuisse narrantur, postquam, regnante Theodosio, Jovis Olympici templum igne combustum est, quod a. p. Chr. n. 394 factum esse constat. Inde profectus ea scholia, quae in archetypo exstitisse modo demonstratum est, ante saeculum V. conscripta esse nego. Quod si verum est, fieri non potuisse apparet, ut codices interpolati, qui et ipsi scholia ex archetypo mutuati sint, ante illud tempus emanarint. Itaque perverse judicat Fritzschius, qui Lucianum „jam quarto circiter saeculo a correctore et atticista audacter recensitum esse,“ censeat.[23]) Fueritne atticista corrector ille, in incerto relinquere malo, cum in his rebus parum sim versatus. Quibus causis permotus et quas rationes secutus corrigendi provinciam susceperit, ut investigatu difficillimum est, ita nihil fere utilitatis affert. Erat certe homo callidissimus sermonisque Graeci peritissimus, qui vitia, quibus archetypum abundasse constat, non pauca ita correxerit, ut palma plausuque dignus videatur. Idem valet de eo correctore, qui A² C² F L ita conformavit, ut saepe a ceteris codicibus omnibus dissentiant, neve nos a consilio aberrasse credas, si quando horum codicum lectiones probamus.

---

[22]) Conf. Jacobitzi edit. vol. IV. pag. 221.
[23]) Conf. Fritzschi praef. fasc. I. pag. 4.

Schulnachrichten.

Der Wunsch, mit welchem das letzte Programm geschlossen wurde, ist in so weit in Erfüllung gegangen, dass die Schule in diesem Schuljahre ungestört von Zeitläuften an ihrer Aufgabe hat arbeiten können; wie sie derselben nachgekommen, darüber haben andere zu urtheilen. Die Mittheilungen über dasselbe können in wenig Worten gegeben werden.

1) In dem Lehrerpersonal ist keine Veränderung vorgegangen: die zwei Stellen, die achte und zwölfte, sind noch unbesetzt und werden bis zu einer endlichen Entscheidung über die Einrichtung so verbleiben können. Durch Hülfsunterricht wird einstweilen das Nöthige ersetzt.

2) Die Zahl der Schüler ist in stetem Wachsen. Das Schuljahr 1865/66 begann mit 147 Schülern. Von diesen gingen im Laufe des Jahres folgende ab: der Secundaner G. Christiansen aus Hadersleben, ein durch Fleiss und Betragen gleich lobenswerther Schüler und allen seinen Lehrern lieb, verliess, schon lange von zehrender Krankheit heimgesucht, so dass er nur mit grosser Mühe den Gang in die Schule machen konnte, um Michaelis die Schule, um wo möglich bei seinen Eltern sich die Gesundheit wieder zu suchen. Sie konnten ihm aber nur die letzten Liebesdienste leisten, im Laufe des Decembers machte ein sanfter Tod seinen Leiden ein Ende. Aus Tertia ging gegen Pfingsten A. Paulsen aus Schottburg, dem die Studien weniger zuzusagen schienen, nach Haus, um einer andern Thätigkeit sich zu widmen; um Michaelis E. Andersen aus Hadersleben zum Militair und A. Schmidt aus Fredstedt ins bürgerliche Leben, P. Jürgensen, geb. in Tondern, in Folge der Versetzung des Vaters, auf die Flensburger Schule. Der Schüler der zweiten Real-Classe P. Thaisen aus Wildfang fand sich nach den Hundstagsferien nicht wieder ein; P. Matzen aus Hjartbroe und P. Hjort aus Hadersleben, welche Michaelis confirmirt wurden, widmeten sich der Landwirthschaft. Aus Sexta ging E. Kampradt ab, um in der Bürgerschule und aus der Vorbereitungsclasse H. Thede und M. Lundbeck um auf privatem Wege unterrichtet zu werden. Nachdem diese abgegangen und andere in die verschiedenen Classen aufgenommen sind, wird die Schule jetzt am Ende des Schuljahres von folgenden 156 Schülern besucht:

1. Prima.

J. J. Seneberg.
E. Prahl.
J. K. N. Jacobsen.
O. U. Jessen.
W. Brincken.
J. Schmidt.
H. Meyer.
E. Andersen.
P. M. Johansen.
G. Schrader.

2. Secunda.

Th. Jörgensen.
W. Jessen.
L. Petersen.